

CLASSIS SECUNDA.
CARDIACORUM
 NERVEORUM.

Quæ vires infundunt nervis roborantes, & spirituum vividiores efficiunt motum, nervea recte dicuntur. Indicantur, quando cognoscuntur vires deficere, simulque apparent evidentia signa languoris ad omnes motus musculares, etiam ubi valde impediuntur exercitia sensuum, imprimis vero, si tum simul cernuntur signa clara humorum crassorum per reliqua vasa.
 BOERHAAVE. L. B. Van - SWIETEN. **A**

ANIMALIUM
 EXHALATIONES

PER ACCUBITUM.

Effœta, & præ languore interitura corpora, animali exhalatione refici antiquitati notum fuisse, DAVI-
 DIS exemplo confirmatum, hodie familiare, vide *Il-
 lustr.* L. B. Van SWIETEN *Comment.* Nec tamen
 aut his, aut aliis evidentioribus exemplis adeo juve-
 nilis vigoris bona, in senis corpus attracta accubitu
 deduci, ut jam hoc elanguidum sensim depereat,
 probatum, quanquam & id plurimis pronunciatum sit.
 Nam etsi id ipsum verum, ægritudines contagiosas esse
 posse, & accumbenti corpori communicari; ita ex im-
 puro lecti socio multos tabidos factos olim sanissimos
 probe

probe meminit *Cl. HUXHAM de consitut. Aeris & morbis Epidemicis*, ita de canum in podagra usu plurimus *BORELLUS*, factum alii confirmant, & ultimo de cane podagræ magnete, obs. dedit in *Acad. N. C. Vol. VI. van WOENSEL*; hæc tamen id non satis demonstrant. Sed quid est in perspirabili reficientis? etsi sua cuique animali atmosphæra est, a propria individuorum fabrica dependens, est tamen omni subtilissimum odoratum principium ab eadem; docet inquirendis aliis, animalium sagacitas; hoc suscipi, susceptum refocillare exhaustum posse, maxime si e juvenili vegeto corpore emanet tanta copia, ut calculo docuit *SANCTORIUS*, haud mirum. *AUGUSTI Cæsar*is suaveolens corporis atmosphæra, ni adulato-ribus scripta, insolita: sed etiam sudorem axillæ sinistrae tempore æstivo moschum redoluisse, alias hoc odore liberum, *PRÆCEPTOR* meminit,

♀

VEGETABILIMUM

GRATI VAPORES.

AURANTII flores *Offic.* p. 31.

CITRII flores *Offic.* p. 32.

CROCUS *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis*
Lillorum. *Germ.* Saffran. *Gallis* Safran. *Anglis*
Saffron.

Crocus, floribus fructui impositis, tubo longissimo, officinarum, est pistillum ovarii in tres lacinias fissum, non ipse flos. Mira species materiæ, ad oleosum spirituosum pertinet: recens fragranti odore prædita, coloris rutili, pinguis, flexilis, tritu difficilis, manus fricantis inficiens, probatur: talis est *crocus Austriacus*

non

non solum in spiritu vini rectificatissimo totus solubilis, sed etiam in spiritu vini rectificato, imo etiam totus in aqua. Ad varia olim, ut etiam hodie adhibetur, docet epicrocium, crocorancis, opera aurichalcea, *mignature* &c. itidem condimenti loco multis usurpatur nationibus.

USUS MEDICUS, externus, odorati moderate croci ad animales spiritus excitandos eximius, **BOERHAAVE**. In Pulmonibus affectis peculiare quid præfiat. **FR. HOFFMANN** *de Medic. Selectioribus*. Immoderate caput gravans, mentem turbans, fardonicus, apoplecticus, lethalis, **GALENUS**, **FABER LYNÆUS**, **BORELLUS**, **L. B. van SWIETEN**. Internus iisdem conditionibus idem, minori dosi exhilarans, majori sensus omnes sopiens, ut vinum, & opium; etiam virgines pro provocandis menstruis majori croci dosi indulgentes in immoderatos risus solutas **RIVERIUS** vidit, & alios casus alii habent, ut recte de salubri, vel noxia croci dosi quærat: In hac audaces multi, multi timidi; liberalior nec sequendus **LINNÆUS**, dum croci Orientalis, & Britannici drachmam dimidiam, tincturæ croci tantundem, extracti croci grana XV. pro dosi exhibet. Duæ tertiæ ejusdem convenientissima dosis est, non assuetis. Difficulter recens, pinguis, pulverisatur, massæ pillulari, electuario, incorporari integer potest, etiam in præparatis dari in melancholia, tristitia involuntaria, passione hysterica, in suscepto miasmate, languente natura in expulsiōe exanthematis: etiam laudatur scopo sudorifero, emmenagogo: externe crocum abdomini applicatum vomitus sistere **LINNÆUS**.

PRÆPARATA. *Extractum* croci. *Essentia* croci, quæ cum spiritu croci in nostris officinis extrahitur ditior, minori dosi a guttis V ad X pro dosi danda, alia paulo majori.

JASMI-

JASMINI Flores *Off. Botanicorum*. Classis Naturalis Oligantherarum. *Germ.* Jasmin. *Gallis* Jasmins. *Anglis* Jessamy.

Variae hujus plantæ species sunt; Jasminum foliis oppositis, pinnatis, album vel maxime nobis officinale est, ut inde paretur oleum odoratum.

USUS MEDICUS veteribus haud cognitus, recentioribus inter illa, quæ grato odore languentes spiritus reficiant, & moveant, maxime floris, qui etiam infundi possit, gratus.

PRÆPARATUM. *Oleum* jasmini, quod diversis modis multis paratur, per infusionem his, per expressionem cum amygdalis, cum gossypio, oleo Ben imbuto, infratis jasmini foliis, aliis: unguentis &c. odoris gratia additur.

LILII ALBI flores. *Off. Botanicorum*. Classis Naturalis Liliorum. *Germ.* weisse Lilien. *Gallis* Lis blanche. *Anglis* The White Lilly.

Lilium foliolis sparsis, corollis campanulatis, intus glabris. Flores pulcherrimi candidi campanulam seu calathum efformantes admodum odorati sunt, caput, ut jasminum tentantes naribus diutius suppositi. Quod vero illis inest volatile odoratum, nec facile elici, nec coerceri potest, cito evanidum: præter flores, antheræ excitantes, radix emolliens aliis classibus inferendæ sunt.

USUS MEDICUS: florum, ubi humoribus bonis spirituum languor, utilis, odoratu, infusione, fotu. Antherarum, in vino infusarum lætificans. Bulborum mucilaginosorum externus, maturans, unde frequenter cataplasmatibus suppurantibus recipiuntur.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia florum liliorum alborum, odoris vinosi semper laudanda. *Oleum* vel infolatione vel coctione paratum, utrumque raro bonum, postremum officinarum inutile. Bene paratum externum paregoricum, emolliens, dolorificis, & emolliendis partibus applicatur.

LILII

LILII CONVALLII flores *Off. Botanicorum*
 Polygonati flores. Convallarizæ flores. *Classis*
Naturalis Liliorum. Germ. Thal-Lilien. Gallis Mu-
guet. Anglis Lillies of the Valley.

Polygonatum bifolium, scapo florifero, aphylo.
 Etsi hujus plantæ plurimæ species sint, tamen bi-folio,
 scapo florifero, facile cognoscitur omnibus. Odor flo-
 rum gratus, suavis, caput non tentans, durabilis ma-
 gis quam liliorum alborum. Bacca, radix, folia, ama-
 rissima raro adhibentur, licet hinc inde deprædicata;
 ex foliis cum calce fit pulcher, durabilis color viridis.

USUS MEDICUS florum in languidis excitan-
 dis spiritibus utilis, licet suspectam vim *L.* habeat,
 quam cum illa baccarum abs dubio confundit. Flo-
 res pulverisati sternutatorii.

PRÆPARATA. *Aqua stillatitia grata. Spiritus*
liliorum convallium laudatus, conserva cephalica.

MELISSA *Off. Botanicorum. Classis Naturalis*
Ringentium. Germ. Hertzkraut. Gallis Melisse.
Anglis Balm.

Melissa floribus ex axillis inferioribus, subsessilibus,
 maxime officinalis, licet alias plures *melissæ* species ad-
 huc officinæ asservent, non æque utiles omnes. *Me-*
lissa Turcica odorem quidem aromaticum, sed, si ita
 loqui licet, fatuum, ingratum, nauseosum, & magis
 debilitantem, quam erigentem, habet. *Canariensis*
 fragrantissima est, non ubique dispensata. *Melissa ve-*
ro hortensis citrina officinarum gratissima, maxime
usualis, & laudata est. Siccata de aromate suo per-
dit nihil.

Estne *melissa* nostra *mellitæna* **DIOSCORIDIS?**
Apiastrum **PLINII?** quod in confessa damnatione
 venenatum in Sardinia? Aliis ad morsus venenatorum
 animalium laudatur, nobis tale nihil observatum.

USUS

USUS MEDICUS excitandi scopo olfactæ plantæ, etiam in vino frigide infusæ recentis, in insolita tristitia, maxime hypochondriaca, sensuum a causa frigida eclipsi, utilis, ut & in omni casu exhaustarum virtutum, ut post partum, proficiuus: adhæc in morbis frigidis, languente humorum motu, in polyposis sanguinis concretionibus, affectionibus paralyticis, soporosis, laudatur; valet etiam ad dolores rheumaticos, podagricos in potu, & fotu.

PRÆPARATA Egregia sunt. *Aqua stillatitia* melissæ vires plantæ habet, habet & hæc *Spiritus* sed longe efficaciores. *Aqua melissæ composita* Carmelitarum in Apoplexia frigida, paralyti, lethargo, epilepsia, passione hysterica, palpitatione cordis, colica flatulenta, celebrata est. dosi drach. I. II. unc. semis, unius. *Oleum essentielle* ingens cardiacum forma elæosacchari. *Conserua*, *Syrupus* suis viribus gaudent.

OCYMUM. BASILICUM Off. *Botanicorum*. Classis Naturalis Ringentium. *Germ.* Citronen Basilien. *Gallis* Basilic. *Anglis* Basil.

Ocymum foliis ovatis, glabris, suaveolens, fragrans, gratissimi aromatis planta, per excellentiam regia dicta est. Ex infinita specierum varietate caryophyllata officinis electa; hæc, ut etiam aliæ culinis usitata. Scorpionum fabula imprudentior, quam verior.

VIRES MEDICÆ inter illas, quæ grata fragrantia debiles, & languidos reficiunt, excitant spiritus, plantas, principes; infusio frigida vinosa laudatissima, dosi Manip. semis, libra vini una.

PRÆPARATA *Aqua* Basilici.

PARALYSEOS flores Off. *Botanicorum* **PRIMULÆ**. Classis Naturalis Oligantherarum. *Germ.* Schlüsselblum. *Gallis* Primevere. *Anglis* Prim rose.

Primula foliis rugosis, hirsutis, spica inclinata, flore odorato. Flores prioribus minus odorati, aroma subtile tamen,

men, melleum, reficiens habent; adest etiam radix, herba, non earundem virium.

VIRES MEDICÆ florum in excitandis spiritibus, tremulis, paralyticis etiam membris, laudatæ, totius plantæ podagram lenientes fotu; radicis amaræ sunt.

PRÆPARATA. *Aqua* stillatitia ad capitis dolores pota. *Spiritus, conserva.*

His etiam aliarum plantarum aromaticarum grati odores, ut & odores singulares aliarum rerum addi possunt, sed hæc in altera classe dicentur omnia.

9



A. Closs sculpt.

CLASSIS